B.P.L. Julius
1606 Edin. See Aldis (114)
396

BIBL. UNIV. EDINBURGENSIS

# Mater compellat

## filium ſibi ſuperſtitem.

*VNius in ſpeculo, & trini ſi numinis vnus*
*Ante alios verè conſpiciare mihi:*
*Ecce tibi noſtra hic præſens abſentis imago,*
*Vmbraque, ſint animi quæ monumenta mei*
*Conſule, & oſtendet tibi me, ſpeculumque recludet,*
*Queis animi veris inficiare bonis.*

*Illustrißimæ Dominæ*

# PROREGIS QVONDAM

## Conjugis ANNABELLÆ MVRRAVIÆ

Comitissæ [illegible], extremum vitæ finem *morte conscientis vndecimo Feb.* 1603. *ante* lucem, vitæ feliciter actæ, & mortis *beatæ speculum.*

AVREA materies sterili subiecta camœnæ
Vincet opus magni musis mage digna Maronis:
Sic vate Augusto augusta heroina superbo
Decantanda magis, quam depravanda maligno.
Nil tamen offensæ est, virtuti debita, laudum
Primula rangentem summis, libamina labris,
Pignora grata piæ, gravo dare carmine, mentis.
Quis stupor, vbi cunctum verbis in sinu nec sensum
Occupat? insecunda situ præcordia damnans;
Vt lacrymis, ut lamentis, ut mente moratus;
Vt solitus longas in planctum ducere voces;
Defunctæ nequeam laudes æquare canendo?
Hic stupor, hic dolor est, mea cum jucundissima cura,
Cum mea lux, mea vita, patrem jam morte beavit
Functa, suo poscat cineri pia munera mitti.
Si facilem moueat cantum, quem cuncta mouentem,
Quem stabilem colimus, quem majestate verendum;
Corporis effigies non tam spiraret in auro
Phidiaca cœlata manu, vel ficta Lysippo:
Tam nec Apelleo vultus animata colore
Forma foret, seclis fierent quæ nota futuris:
Quam genii diuina tui referatur imago:
Totque bonis animi species cumulata sereni:

Secula

Secula ut hinc morum caperent documenta nepotum.
Heu rursum ingeminant curæ, redit ipsa cicatrix
Vulnus in antiquum, genitor mihi numine dextro
Tristia depositis mulcebis pectora curis,
Nec dabis hîc nullas lugenti in carmina vires,
Dulciter arcano stimulans præcordia motu:
Cum tua munificæ memorentur munera dextræ.
Quæritur extensæ meritis accessio famæ?
Queis patriæ, patrium, proprium decus, aucta domusque est:
Gentis honos? procerum genus alto à sanguine regni:
Murrauia generosa domo, fama indolis altæ
Gentis Areskinæ thalamo dotata superbo:
O procerum primi conjunx rarissima! lege
Libera nec temerata fides! quam casta jugalis
Vincla thori! vt primos coleres constanter amores,
Et cuperes sancto vitam impendisse pudori,
Quem colis vt virgo & conjunx, sic orba marito.
Magna piæ menti sectandi gratia recti,
Curaque pallentum contagia radere morum:
Nec solitis secli maculis aut labe notari,
Simplice fama fide minor, & comes addita factis
Gratia major erat popularis murmure linguæ:
Consulis vt patriæ, summæ rerumque nepotum.
Nam grauiùs dare, vel capto prudentiùs vti
Consilio vt posses, seris fuit vsus ab annis:
Mens inuicta malis nunquam præsumpsit inani
Spe meliora, animos animosa pericla jacentes
Instaurant, aliis dubium, minuuntque pauorem
Omnia præcipienti animo tecum ante peracta.
Dum tibi fortunam liuenti tincta veneno
Corda dolent, ignaua notant operumque labores,
Ocia dum nescis, rebus seu blanda secundis
Spes tibi, seu varium mutauit nubila vultum:
Idem animumque tenor, dulcesque modestia mores
Nobilitant, tumidasque premis mansuetior iras:
Facta nec inficians diuinę vulnera dextrę.

Non priuata tuam, non publica commoda curam
Prętereunt, classem excussо fluitare magistro
Cernis, inire juvat pro quo pia munera clavo
Hęrentem, rapidâsque ratem texisse per undas,
Spectantem tantas pelago consurgere moles
Sic erat, vt laceros violentia sæva penates,
Præcipitique ruens populatur turba furore
Immeritos; immane nefas mox juris habenis
Vlta, tuo juri data damna rependis acerba,
Nec mora consiliis, rebus mora nulla gerendis.
Tam vigiles sensus, tam sobria corda, quietis
Nescia, sollicitis succinctaque pectora curis,
Quas regum teneris, & quas crescentibus annis,
Fida domique, forisque, parens, & alumna gerebas;
Tanta mole oneris fuerant & pondere digna.
Nec vigil effuso periit tibi cura labore:
Namque tibi paribus respondent regia curis
Pectora, dum dictis ægram solatur amicis;
Et tenerum princeps pietati exæquat amorem.
Æmula virtutum, nec laudis egena, bonorum
Quæ tibi non tentanda putas? tam gentis honore
Digna gerens, splendore loci, thalamoque jugali,
Quam cupida vt magnas, tenues sic noscere curas,
Artificum ac operum curas, fallentia duros
Queis studia accendis merita mercede labores,
Assiduis famulos, famulâsque laboribus vrgens:
Sic varios hominum te commoda didis in vsus.
Magna domus, major clarîs gloria vitæ
Quam manet, hanc pietas nulli quæ cedit honori
Augustè venerata Deum, studiosa iustorum,
Sorte thori primam cœlo mage laudibus æquat,
Officio studioque bonos complexa, malorum
Non ignara, malis inopumque levamen, egenis
Præsidium, queis mensa, domus, queis larga patebat
Dextra, animis veràipietatis imaginе gaudens.
Spicula divinæ penetrant dum viscera dextræ;

Dum tibi nulla vacant expertis membra doloris;
Gratáque mors atris laſſam circumvolat alis,
Nec vigiles cœtus, nihil ars, nil cura medentum
Auxiliata malis, brevis hæc ludibria vitæ
Exoſam, aſſiduis mortem votíſque vocantem,
Nil juvat hoc magè corporeo quàm carcere ſolvi,
Luctantemque animam patrio ſuccedere cœlo.

Horrida ſiqua ſitu turpi, vel ſqualida luctu
Cernitur in ſpiſſa ſpondam cingente corona;
Diceris aut flentem verbis lenire, remiſſos
Aut agitare jocos, fati ſecura propinqui;
Quemque tuis tuleras tantum moritura dolorem,
Hunc hilari relevat pectvs pietate repletum:
Tanta animum æternæ tenuit fiducia vitæ.

Tu qnoties auidè pendes ſolantis ab ore
Mutua das animo triſti ſolatia danti
Ora piis ſoluens in vota nouiſſima verbis:
Fulci animum, pater alme, ægris nec defice curis,
Inceptique operis promiſſi, & muneris author,
Perfice quod ſupereſt, finemque impone labori.

Heu nimium temerè falſa inter gaudia pronos,
Egimus hîc annos, dubiæ per inania vitæ
Somnia, ducendas lachrymando traximus horas:
Dum cæli in terras animæ curvantur inanes,
Dulcibus illecebris vitiatum fallimus ævum.
Nube ſoporiferi pulſa, ſenſoque veterni,
Senſimus æternæ tandem primordia vitæ:
Sat mihi, nunc habeo totâ quod mente petivi;
Nunc Deus humanâ vera ſub imagine firmat
Pectora, qui veterum deleta labe malorum,
A famula mortem privatâ morte redemit.
In cineres mihi membra fluant, has obſtruat aures,
Ferreus extinguat languentia lumina ſomnus;
Ne terrenæ animum vanâ dulcedine ſordes
Ampliùs, aut captum fallant mendacibus umbris:
Pars tamen illa mei melior ſuper aſtra feretur,

Tuta tenens patrium gaudens contingere limen.
Morſ-ne mihi inſultet? putres qui ſolverit artus
Ora ſuam in laudem Dominus redivivus reſoluet.
Præſtolor, vitę detur dum ſerre beatę
Commoda, delitias, largoque fluentia ſuco
Gaudia pura, animę placidam ſine fine quietem,
Et decus æternum, æterni radiantia vultus
Lumina cernenti dabitur ſplendore fouenti.
Hęc me certa ſalus manes vltima meta laborum.
Pars animę victura meę, mea viſcera nate,
Per genetricem oro, & ſobolis ſpem, ſpemque ſalutis:
Viue memor lethi, ſit mens tibi conſcia recti:
Delitias inter fluxas, breuis inter inanes
Et tenues vitæ curas, pietate fideli
Ethera concipias animo, crepet æthera lingua,
Et manus, æternę quę ſint præludia vitę.
Tantum effata diu compreſſo obmutuit ore,
Lumina deficiunt vicina in morte grauata,
Nec ſonus obſtructas morienti perſonat aures,
Proſequimur votis jam morbo extrema ſequentem,
Cum gemitu, magno circum clamore frementes.
Si lachrymis flecti poſſent, ſi fata retexi
Fas foret, ad rerum multùm quæ fleta, parentem eſt,
Neſtoreos ea digna foret quę vinceret annos:
Corporis vt vivi potiùs ſpiraret imago,
Viueret exemplar morum, quam pagina tanti
Pectoris effigiem caneret complexa perennem.
Vitam ô felicem felici funere functam
O vtinam fati par ſit fortuna nepotum.

EPITA-

## EPITAPHIVM.

QVam fata rebus destinarant maximis,
Natura fatis æmula
Parique cura congruenter omnibus
Ornavit auctam commodis
Divina Virtus prouidique consilii
Duxerat inoffenso gradu
Clangorque traxit aut retraxit buccinæ
Cœlestis, hæc fata tam sua
Secuta, Natura ducem, quam Numinis
Vim prouidam, cœlo edita
Oracla splendida quæ hæc præuia
Errore ne mens hæsuet,
Superare fato singulari, dotibus
Miraque naturæ indole
Stirpem virilem, gentis et fortem suæ
Eventus vti offenderat,
Sat dando Regno, Regibus Britanniæ
Domi forisque, Patriæ
Suæ suoque consulendo sæculo
Et posterorum semini,
Industria, virtute prima principum,
Tot sæculorum et gentium,
Iucunda cunctis, grata summis, infimis,
Solamen ægris et inopum
Levamen, vt in vtraque fortuna sibi
Humanitati sic suæ
Constabat fraus inhonesta consultrix gravem
Livoris, et sæuidicæ
Contenta, freta est Numinis clementia,
Et mente recti conscia,
Perfuncta curis maximis, bonis bonis
Vitæque tot laboribus
Tot aucta sæpe prosperis quos ceperat
conatuum successibus,
*Brevis laboret anxior vitæ spe*
*Perfuncta letho clauserat.*

# TRES FRATRES AVCHMVTEI,

cum convivis *Sterlini*, Regis noſtri ſereniſſimi memoriam, ſummâ cum reuerentiâ, inter *pocula vſurpantes ſanxerunt* 28. *Iulii* 605. ſodalirati ſuæ, lilia pro plumis in capite *geſtanda, multa etiam delinquentibus interpoſita.*

*AVchmutei* plenæ lęti inter pocula menſæ,
Dum memores grato regni caput ore ſalutant,
Sanxerunt ſocię geſtanda inſignia turbę
Lilia, & immemores multant geſtaminis, inde
Grandia liligerum diſtingunt lilia cætum,
Quo ſe cunque ferunt patriæ per mœnia ſedis.
Vnde animum inducant ſocialia fœdera fratres
Vna nimes dicta hoc ſigno componere multa?
Nempe hęc fraternæ mentis preſagia, noſtro
Debita, liligeri portendunt ſceptra, Leoni.
Lilia purpureo cingentia tempora flore,
Seſe ad honorati gaudent inſignia ſceptri
Addere, quod tribuunt decus id diademate ab alto
Quęſitum cunctis terrarum ſplendeat oris.
Iure ſuum tandem ne ſpernat Gallia Regem,
Brachia purpureum cum contraxiſſe Leonem,
Horrentemque ſuas paliûrum vt ſpicula ſpinas,
Quas priùs in torum numiſma reſperſit acutas,
Et retuliſſe pedes vltrò, & veſtigia pictas
Cernere pantheras liceat, pandatur amœnis
Floribus vt locus ad cytharę modulamen hibernę:
Iam poſita feritate Leo eſt pantheraque ſicut vrſis
Carduus haud pungit ſurgentis acumine ſpinę,
Lędítur ingenitis nemo pacatus ab armis,
Horum, quod poſita clementia temperat ira,
Quoſque opifex rerum concordi pace ligauit.

BIBL. UNIV. EDINBURGENSIS